

Cambridge University Press

978-1-108-04678-7 - Thomae Walsingham, Quondam Monachi S. Albani, Historia Anglicana:

Volume 1: A.D. 1272–1381

Edited by Henry Thomas Riley

Excerpt

[More information](#)

*PRÆFATIO AD LECTOREM.

CUM nos non nobis solum natos esse meminerim,
(Lector optime) sed patriæ, parentibus, et amicis, istam Thomæ Walsinghami Historiam non uni mihi private retinendam, sed ad communem omnium utilitatem divulgandam, putavi: idque eo magis, quoniam ille percommode exordiri mihi videtur ab *Henrico Tertio* Rege, in quo vera illa et fidelis Matthæi Parisii Historia desiit. Lex autem cum hæc sit historiæ, ut rei potius veritatem quam orationis elegantiam desideret, illud me quoquo modo dehortari non poterat, quod ille crasso ac levidensi filo scripserit. Egregia enim et rarissima gesta cum illius historia contineat, non dubito quin multa apud nos præclara ingenia sint, qui cum per ætatem melius possint, hoc illius opus meliori fuco et apparatu splendidiore illustrent. Rationem interim et exemplum Titi Livii Frulovisii Ferrariensis odi: qui cum *Henrici Quinti* res gestas proposito præmio scribendas in se susciperet; ne videretur auctorem quendam ἀνώνυμον eisdem vestigiis insequi, quoniam pingui Minerva usus esset, cuius Historia sic exorditur, “Lucerna posita sub modio,” multa ab eo egregie scripta, et a principe inclyto divinitus facta, omnino prætermisit. Curiosam istam in alios injuriam, seu delicatam philautiam, non approbo, maloque cum bona fide crassissime dicta commemorare, quam, ut

* Preface to Archbishop Parker's Edition, A.D. 1574.

Cambridge University Press

978-1-108-04678-7 - Thomae Walsingham, Quondam Monachi S. Albani, Historia Anglicana:

Volume 1: A.D. 1272–1381

Edited by Henry Thomas Riley

Excerpt

[More information](#)

mihi aliquid arrogem, mortuos injuria afficere, posteros rerum anteactarum veritate fraudare. Vitio ego hic mihi datum fore non dubito, quod multas hujus regni historias antiquissimas ediderim, in quibus monastica quædam fragmenta, aut potius aniles fabulæ, reperiuntur. Sed his libenter ignosco, qui zelo bono adducti, rem prima specie fœdam detestantur, cum nullam habent occasionem altius et profundius considerandi, quanta et quam quotidiana sit istius rei necessitas. Nam si rem mecum penitus introspicerent, Matthæos Parisium et Westmonasteriensem, cum suis fabulis et portentis (quibus hodie nemo credit) potius edendos, quam homines pios et scriptores sinceros reliquis illorum historiis (quæ hodiernæ veritati magnopere suffragantur) privandos putarent. Quibus si ad Papisticæ disciplinæ expugnationem, rutilato, inverso, et conciso eorum opere, uteremur, illi contra justissime reclamarent, aut non esse illorum hominum historias, aut si sint, deletas, corruptas, mutatas, imperfectas, adulteratas esse. Ita eo fugiendo quod non est necesse, in id incidemus quod non est decorum, et cum exemplis superiores simus, fide inferiores erimus: et nos illorum virulentiae et maledictis obnoxios faciemus, cum alioqui suis eos sententiis configere, suis gladiis interficere possimus. Quid enim oratori tam prodest, ut exultantem adversarium frangat, quam aliquod illius stulte dictum aut impure factum commemorare? et suis eundem vocibus sic obtundere, magis ut pudeat quid ipse dixerit, quam recte caveat quid adversarius possit dicere. Sed concedamus paululum nullum in eo Papistis scandalum dari, nec historiæ fidem in dubium vocari posse, si multa corrigantur, multa ne inserantur quidem: quid tandem erit in illis nugis et insomniis periculi? Certe si deliriis et monasticis vanitatibus quisquam ebriosus et tanquam fascinatus fuerit, is eisdem credet, etiamsi in nostris historiis nihil tale reperiat. Totus siquidem terrarum orbis istis insomniis et miraculis cir-

Cambridge University Press

978-1-108-04678-7 - Thomae Walsingham, Quondam Monachi S. Albani, Historia Anglicana:

Volume 1: A.D. 1272–1381

Edited by Henry Thomas Riley

Excerpt

[More information](#)

PRÆFATIO AD LECTOREM.

3

cumfluit; et qui in sordibus est, sordescet adhuc. Quod cum ita sit, videamus quis sit hodie rerum nostrarum status in Anglia, et utrum nimium an parum credendo magis periculum impendeat. Sane quidem (tibi grates, O Summe Pater), ita omni ex parte bestiæ magnæ et tricipitis caput contritum est, ita concussæ sunt nugæ monasticæ, ita depulsæ tenebræ, ita lux Evangelica propagata, ut nemo jam adeo hebetis et obtusi ingenii Papista sit, quin Legendæ Aureæ miracula, et illis consimilia, ad politicam Romanæ Ecclesiæ gubernationem potius excogitata dicat, quam se eisdem credere quoquo modo fateatur. Et ut proprius ad nos veniamus, (ut nunc sunt hominum ingenia) nonne id potius metuendum est, ne multi sint qui se nihil credere oportere existimant, quam ut pauci supersint qui nimium credant? Magis ut miseranda illorum ignorantia, quam ferenda istorum incredulitas et insolentia videatur? Utinam profecto iste sermo quotidie in circulis et conviviis liberius non exiret, tantum se credere quemque oportere, quantum ratione (ne dicam sensu) consequi poterunt: in utroque extremo vitium est, in illo crassum, in isto periculosum. Illi nimium desipere videbantur: nos nimium sapere videri volumus. Ego equidem quoties in fabulas monasticas et aniles ineptias oculos conjicio, iisdem summa cum voluptate mea fruor. Apertam enim Dei bonitatem, et expressam misericordiam in nostra tempora videre mihi video. Intueor siquidem eodem momento et inanes illas tenebras, quas patrum nostrorum oculis Deus effudit, et immensam lucem, quam idem nobis eorum posteris revelavit. Istius sententiæ bonos omnes juxta mecum esse existimo, magisque vereor, si omnia istiusmodi somnia et deliria deleantur, ne tandem aliquando Papistæ negent hujusmodi nugas in Ecclesia Anglicana unquam fuisse ante diruta Cœnobia (quod multi jamdudum factitarunt) quam ut eadem re perspecta, et cognita veritate, quenquam decipient. Multa

A 2

Cambridge University Press

978-1-108-04678-7 - Thomae Walsingham, Quondam Monachi S. Albani, Historia Anglicana:

Volume 1: A.D. 1272–1381

Edited by Henry Thomas Riley

Excerpt

[More information](#)

antiquitus prodita sunt mendacia de gentium et viro-
rum origine, multa erant auguria, multa aruspicum
responsa, multæ divinationes; quibus tanta fides est
habita, ut religio ex illis constituta plus quam mille
annis perduraverit: et tamen veniente in mundum
Christi Evangelio, omnia tanquam nebulæ penitus
evanuerunt. Adulterinæ merces lucem ferre non pote-
rant, eadem tamen post aliquod tempus in manus
hominum recepta sunt, non tam ut iis quisquam capi
quam ut delectari posset. Ridebat quisque superiorum
temporum inscitiam, deprehendit errorem, denique
profanos ritus, mores, et ceremonias (ut nos hodie)
sine ullo conscientiæ labe aut discriminé legebant.

*Hæc omnia Quis est qui in hoc ævo Romulum in cœlum subdito
apud Titum Livium.*

Cice. de
Divina-
tione.

emigrasse credat? Quis Numam Pompilium cum
dea Egeria congressus tacitos habuisse, et ex illa
leges Romanas didicisse? Quis Titi Latinii insom-
nium? Quis Marci Ceditii de Gallorum adventu
vocem admiretur? Quis putet paulo ante Cæsa-
rem imperfectum bovem corde caruisse? aut, si caruerit,
Cæsarianæ mortis portentum fuisse? Quis Tarquinii
jussu Attium Navium cotem novacula præcidisse
opinetur? Quis Alexandrum crediderit amicum Ptole-
mæum a morte ad vitam radicula quadam revocasse,
quam illi draco per quietem ostenderat? Et hæc
tamen omnia ab Historicis et Oratoribus præstantis-
simis scribuntur, et a nobis quotidie sine ullo super-
stitionis discriminé leguntur. Et, ut Historicos paululum

In Historia sua de Carolo, cap. 23.
Si lumen quod in te est, tenebrae sunt, ipsæ tenebrae quantæ?
Matth. 6.

omittamus, veniamus ad Theologos. Scribit Turpinus Remensis Archiepiscopus, et unus de primoribus Galliæ, eam illi cum Carolo Magno familiaritatem intercessisse, ut alter alteri religiose promitteret, ut quisquis prius moriretur, mortis suæ tempus quam fieri potuit diligenter tissime superstiti significaret. Quod cum inter eos utrinque pactum conventumque esset, Turpinus die quadam, dum rem divinam faceret, in extasim raptus, agmen dæmonum vidit versus Lotharingiam prætereun-

Cambridge University Press

978-1-108-04678-7 - Thomae Walsingham, Quondam Monachi S. Albani, Historia Anglicana:

Volume 1: A.D. 1272–1381

Edited by Henry Thomas Riley

Excerpt

[More information](#)

PRÆFATIO AD LECTOREM.

5

tium ; e quibus cum unum rogaret, quo proficisci vellent, respondit se Aquisgranum ad Caroli Magni mortem festinare, ut illius animam ad infernum raperent. Tum ille in nomine Jesu illum adjuravit, ut eadem via reversus, fideliter illi ostenderet, quid de Carolo factum esset. Quod cum sollicite dæmon faceret, dixit Caroli animam ex illorum manibus abreptam esse : quia cum omnia illius facta, tum bona tum mala, stateris libarentur, tot ligna et lapides in alteram a Divo Jacobo Gallitiano decapitato (quibus ille multas ecclesias dicavit) imposita esse, ut illius benefacta malefactis longe superiora essent. Quid hoc miraculo stultius aut inanius ? Quis est hodie apud Anglos tam stupidus et insensatus, ut huic credat, etiamsi a Matthæis Westmonasteriensi et Parisio scribatur ? Quis hodie putat vel Dunstanum Archiepiscopum Diabolum illius operi insidiantem naso suspensum tenuisse, vel Ulstylum Wigorniensem juxta Divi Edwardi sepulchrum baculum marmoribus adeo infixisse, ut nec a Lanfranco, nec alio quoque, nisi solo Ulstano, evelli posset ? Ista omnia antiquitatis deliria cognoscere salus est adolescentulis : et plures, credo, ad castissimam nostram religionem crassis istis et impuris exemplis ante oculos positis adducuntur, quam ullis politicis aut humanis præceptis. Difficile est enim id diligere quod aperte sordet ; nec unquam postea ille cibus stomacho placere potest, qui semel nauseam ingeneravit. Ita qui populum semel aut sæpe miraculis deceptum viderit, nunquam eisdem in posterum credet. Hunc enim sensum unusquisque nostrum habet, ut si ab homine ista fieri dicantur, nihil possibile, sin a Deo, nihil impossibile, credamus. Ipsa Evangelii lux vanitatis tenebras non patitur, neque in ea gente deliria et præstigia unquam possunt reviviscere, apud quam Christiani verbi puritas semel invaluit ; quod si unquam credamus, imbecillitatis nostræ fidei, non alicujus periculi, argumentum est. Nam cum omnes urbes, omnia tempora,

Hoc com-
 mentum
 habetur
 in Hist.
 Aurea, li. 2.
 ca. 7. Et
 Mat. Paris.
 pa. 290,
 anno 1206.
 Et in Flori-
 egio, anno
 814. Et in
 Sermoni-
 bus Disci-
 puli. Et in
 Polichron.
 lib. 5.
 cap. 26.

Cambridge University Press

978-1-108-04678-7 - Thomae Walsingham, Quondam Monachi S. Albani, Historia Anglicana:

Volume 1: A.D. 1272–1381

Edited by Henry Thomas Riley

Excerpt

[More information](#)

omnis domus, Scripturis sanctissimis abundant, non potest ista antiquitatis crassities in ullo angulo aut latibulo sine lumine, sine indicio, sine veri perspicientia, delitescere: aut, si quisquam omnium sit qui in tanta luce tenebras etiamnum mordicus retineat, induravit cor ejus Dominus, et de eo magis desperandum est, ne nunquam resipiscat, quam metuendum ne istis miraculis cæcus fiat, qui jamdudum in ipsa luce cæcutire et offendere desiderat. Hæc in eum finem a me scribuntur (suavissime Lector) non ut te a puro Evangelii fonte ad turbulentos miraculorum lacus adigam, sed ut tu (cum in ea incideris) Deo gratias agas, quod eam tibi lucem ostenderit quam patribus tuis denegavit: nec antiquissimas istas patriæ tuæ Historias prorsus rejicias, quoniam in illis falsa miracula produntur; ne in summa rerum nostrarum ignorance semper verseris, cum nec ulla antiquitatum vestigia nisi in illis scriptoribus reperi possint, nec quisquam sit qui perfectam rerum nostrarum Historiam hactenus scripserit. Id ego aliquando exactissime futurum non dubitarem, nisi in Deum et homines ingrati essemus; dum nec labores alienos merito approbamus, nec ingenia excellentia (ut solent aliæ nationes) præmio èt honore afficimus. Immo vero, quasi nati ad barbariem essemus, doctissimos quosque et viros eloquentissimos cum indignitate rejicimus. Hæc in nobis et alia quæcunque vitia Deus optimus maximus pro sua summa clementia corrigat: et tibi, Lector optime, multorum annorum felicitatem cum salute sempiterna concedat. Vale.

Cambridge University Press

978-1-108-04678-7 - Thomae Walsingham, Quondam Monachi S. Albani, Historia Anglicana:

Volume 1: A.D. 1272–1381

Edited by Henry Thomas Riley

Excerpt

[More information](#)

T H O M A E W A L S I N G H A M ,
 QUONDAM MONACHI S. ALBANI ,
 HISTORIA ANGLICANA .

DE TEMPORE REGIS EDWARDI, POST CONQUÆSTUM
 PRIMI.

MS. Bibl. ANNO gratiæ millesimo ducentesimo septuagesimo tertio, A.D. 1272.
 Reg. 13 qui est annus regni Regis Henrici, a Conquæstu Tertii, quin- Death of
 E. ix. quagesimus septimus et ultimus, cum idem Rex Henricus Henry III.
 Rishanger. condignam ultiōem Northwicensibus dedisset sacrilegiis,
 MS. Bibl. Londonias redire decrevit. Et cum ad Abbathiam Sancti
 Reg. 13 Edmundi, Regis et Martyris, declinasset, gravi languore cor-
 E. ix. ripitur, qui eum non deseruit usque ad vitæ finem. Dum
 ægrotaret enim, venerunt ad eum Comites et Barones terræ,
 cum Pontificibus, ut ejus transitui interessent. Confessus est
 autem humiliiter peccata sua, tundens pectus suum, et malam
 remittens omnibus voluntatem, emendationem quoque vitæ
 promittens. Ex hinc absolvitur a Prælato: deinde devote sus-
 cepit corpus Christi, et, unctione ¹ delibatus extrema, cruncem
 Domini suppliciter adoravit, jubens debita sua solvi, et resi-
 dum indigentibus æque partiri. Cum hæc rite peregisset,
 reddidit spiritum suum Deo. Corpus autem ejus apud West-
 monasterium honorificæ traditur sepulturæ.

Regnavit quinquaginta sex annis, et amplius, quantum distat
 a festo Sanctorum Simonis et Judæ usque ad festum Sancti
 Edmundi Pontificis, id est, viginti diebus. Duxerat autem in Children of
 uxorem mulierem nobilem, filiam Comitis de Saveye, nomine Henry III.
 Alienoram; de qua suscepit filios, Edwardum, qui post ipsum
 regnavit, et Edmundum, qui fuit Comes Leycestriæ et Lan-
 castræ, et duas filias, scilicet, Beatricem, quæ nupsit Comiti
 Britannæ, et Margaretam, quæ fuit Regi Scotiæ conjugata.

¹ *delibatus* in the printed texts.

*

Cambridge University Press

978-1-108-04678-7 - Thomae Walsingham, Quondam Monachi S. Albani, Historia Anglicana:

Volume 1: A.D. 1272–1381

Edited by Henry Thomas Riley

Excerpt

[More information](#)

A.D. 1272. Iste Henricus Rex inchoavit novam fabricam ecclesiae West-Rishanger,
monasterii, sed non perfecit.

MS. Bibl.

Reg. 13

Character of Henry III. Singulis namque diebus tres Missas cum nota audiire solebat, et, plures audire cupiens, privatim celebrantibus assidue assistebat; ac cum sacerdos corpus Dominicum elevaret, manum sacerdotis tenere, et illam osculari, solebat. Contigit autem aliquando Sanctum Lodowicum, Francorum Regem, cum eo super hoc conferentem, dicere quod non semper Missis, sed frequentius Sermonibus, audiendis esse vacandum. Cui facta urbanitate respondens, ait, se malle amicu[m] suu[m] saepius videre, quam de eo loquentem, licet bona dicentem, audire. Erat autem staturæ mediocris, compacti corporis, alterius oculi palpebra demissiore, ita ut partem nigredinis pupillo celaret. Robustus viribus, sed præceps in factis. In quibus tamen quia fortunatos et felices exitus habuit, putant eum multi apud Merlinum fatidicum per lyncem designatum, omnia penetrantem.

E. ix.

Cum igitur corpus magnifici Regis commissum fuisset honoriæ sepulturæ, quia Edwardus, filius ejus primogenitus, in Terra Sancta detenus fuit Crucis negotio, et absens regni administrationem non valebat exequi; die proximo post patris ejus sepulturam, Frater Robertus ¹ Kylwardby, Cantuariensis Archiepiscopus, et Gilbertus Comes Gloverniæ, cum aliis prælatis ac regni proceribus, Londoniis apud Novum Templum convenientes, Edwardum absentem dominum suum ligium recognoverunt, paternique successorem honoris ordinaverunt: et de assensu Reginae matris statuerunt Custodes regni, ministrosque fideles, qui regio fisco præcessent, et proventus regni ad opus Regis novi ex integro reservarent; cuius pacem jam ubique fecerunt per Angliam proclaimari.

Eodem anno Edmundus, filius Regis Henrici, frater Edwardi, rediit in Angliam de Terra Sancta.

Accession of Edward I. Edwardus igitur, Regis Anglorum Henrici Tertii ex Alienora, filia Comitis Provinciæ, vel Sabaudiæ, primogenitus, ætatis suæ anno tricesimo quarto patri successit in regnum.

Fuit autem prudens in gerendis negotiis, ab adolescentia armorum deditus exercitio, quo in diversis regionibus eam famam militiæ adquisierat, qua totius orbis Christiani sui temporis principes singulariter transcendebat. Elegantis erat formæ, staturæ proceræ, qua humero et supra communì populo præeminebat. Cæsaries in adolescentia a colore pene argenteo vergens in flavum, in juventute vero a flavo declinans in nigredinem,

His person.

¹ *Kylwardy* in orig. and in Parker's text; *Kylwarby* in Camden's MS. Bibl. Reg. 13 E. ix.

Cambridge University Press

978-1-108-04678-7 - Thomae Walsingham, Quondam Monachi S. Albani, Historia Anglicana:

Volume 1: A.D. 1272–1381

Edited by Henry Thomas Riley

Excerpt

[More information](#)

HISTORIA ANGLICANA.

9

Rishanger. ¹ senectute in ²cygneam versa canitiem venustabat. Frons lata, A.D. 1272.
 MS. Bibl. cæteraque facies pariliter disposita, eo excepto, quod sinistri
 Reg. 13 oculi palpebra demissior paterni aspectus similitudinem expri-
 E. ix. mebat; lingua blæsa, cui tamen efficax facundia ad persuadendum in rebus non defuit perorandis. Brachiorum ad proportionem corporis flexibilis productio, quibus vivacitate nervica nulla cujusque erant ad usum gladii aptiora. Pectus ventri præeminebat, tibiarumque longa divisio equorum nobilium cursu et saltu sessoris firmitatem prohibuit infirmari. Cum vacaret ab armis, venationibus tam avium quam ferarum indulgebat, et maxime cervorum, quos in equis cursoribus solebat insequi, gladioque, vice ³venabuli, confodere apprehensos.

Quem commorari in protectione Dei celi notum erat. Nempe cum adhuc adolescens esset, et cum quodam milite in camera testudinata ludo scaccarii occuparetur, subito, nulla occasione præstita, inter ludendum surgens discessit, et ecce! lapis immensæ magnitudinis, qui sedentem conquassasset, cecidit in eundem locum quo sederat; propter quod miraculum, Beatam Mariam apud Walsingham ⁴propensius honorabat. Ei vero attribuebat, quod periculum ⁵istuc evasit.

Inerat ei præterea magnificus animus, injuriarum impatiens, His charac-
 periculorum oblivisci cogens, dum vindicari cuperet; qui tamen ter-
 facillime, humilitate exhibita, potuit emolliri. Nempe cum
 quodam tempore juxta quamdam ripam falconum aucupio se
 exerceret, unum de comitibus suis ex altera parte fluvii, neglig-
 gentius se habentem circa falconem, quæ anatem inter salices
 corripuerat, arguit, et objurgationi minus, ut videbatur, obe-
 dienti, minas adjecit: at ille, attendens nec pontem nec vadum
 consistere in propinquo, facilitate quadam respondit;—“Eja,”
 inquit, “sufficit mihi quod nos ab invicem dividit flumen
 “⁶istud.” Quo responso exasperatus, filius Regis aquam ignotæ
 profunditatis ingressus, equo natante, transivit in crepidinem
 alvei fluminis decursu cavatam, et cum difficultate ascendens,
 gladio extracto, insequitur fugientem; qui tandem per fugam
 desperans evadere, regyrato equo, nudatoque capite, humiliiter
 collum pretendit, et Edwardi se obtulit voluntati. Quo facto,
 ab incepto suo fractus, Regis filius gladium reposuit in vaginam.

¹ senectutem in orig. and in the printed texts.

³ vanabuli in orig.

² agneam in orig., erroneously;
 cygneam in Rishanger, MS. Bibl.
 Reg. 13 E. ix., and the printed texts.

⁴ propencius in orig.

⁵ istud in the printed texts.

⁶ fluvium istud in Parker's text,

fluvius iste in Camden's text.

Cambridge University Press

978-1-108-04678-7 - Thomae Walsingham, Quondam Monachi S. Albani, Historia Anglicana:

Volume 1: A.D. 1272–1381

Edited by Henry Thomas Riley

Excerpt

[More information](#)

10

THOMÆ WALSHAM

A.D. 1272, 3. Deinde reversi, pacifice falconis relictii pariter curam egerunt. Rishanger.
Hæc de moribus et adolescentia filii Regis Henrici comme- MS. Bibl.
moravimus, ne posteris gesta talia sint ignota. Reg. 13
Transit annus iste frugifer et fructifer inter utrumque; E. ix.
Romanis ¹desideratus, propter intronizationem Papæ; tristis
Terræ Sanctæ, propter ²abcessum exercitus Christiani; Anglis
lætus, propter electionem Regis novi.

Rudolph of Hapsburg elected Emperor. Anno gratiæ millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, MS. Bibl.
qui est annus Edwardi, a Conquæstu Primi, primus, prin- Reg. 13
cipes Teutonicæ, cognoscentes veraciter mortuum esse Domi- E. ix.
num Ricardum, Regem Alemanniæ, quondam fratrem Regis
Anglorum Henrici, convenerunt in unum, et ³Radulphum Rishanger.
de Assio Comitem Ruphum elegerunt in Imperatorem Roma. MS. Bibl.
norum; qui anno eodem in Regem Alemanniæ solemniter co- Reg. 13
ronatur. E. ix.

Edward leaves Syria; and arrives in Italy. Edwardus jam Rex Angliæ præsignatus, dum moram apud
⁴Accon faceret, et Christianorum ac Tartarorum auxilia frustra
diutius expectaret, consilio inito, relicti ad Terræ Sanctæ
defensionem stipendiariis, naves repatriaturus ingreditur, cur-
suque velivolo Siciliam usque pervenit; ubi a Rege Karolo
honorifice susceptus est. Cumque per dies aliquot recreandi
gratia se et suos ibidem continuisset, rumores primo de morte
filii sui Henrici, ac postmodum de morte patris, accepit. Qui
dum mortem patris anxius quam filii sui plangeret, a Rege Ka-
rolo, vice consolatoris assistente, plurimumque mirante, super
hoc requisitus, dicitur respondisse;—“Jactura, Domine Rex,
“ filiorum facilis est, cum cotidie multiplicentur: parentum
“ vero mors irremediabilis est, quia nequeunt restaurari.”

Karolus autem Rex discedentem Edwardum conduci fecit
per Karolum, filium suum, usque ad ultimos terminos regni
sui. Cum autem ad Veterem Urbem, ubi Papa cum sua Curia
residebat, advenisset, occurrentibus ei Cardinalibus omnibus,
cum honore maximo ad Domini Papæ præsentiam est deductus.
Cui super morte consanguinei sui, Henrici de Alemannia,
anxiā depositū querimoniam; quem non modo in offensam
juris humani a Gwydone de Monte Forti, dum Missarum sole-
niis assisteret, constabat imperfectum, sed in contemptum
Ecclesiæ et scandalum nominis Christiani. Papa igitur, hiis
commotus, Gwidonem excommunicavit, et omnes eundem re-
ceptantes; et, quousque Ecclesiæ satisficeret, terras eorum sup-
posuit Interdicto. Discedens denique Edwardus a Curia, per

The Pope excommuni-
cates
Guido de
Montfort.

¹ *desiderat* in orig., *desideratus*
in the printed texts.

² *discessum* in the printed texts.

³ Meaning, Rudolph of Hapsburg.

⁴ *Acton* in the printed texts.